UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI, ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE MEMBRIS ECCLE-||SIAE MILITANTIS,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

X. Idem asseritur exemplis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53880

Visual Library

Virgines enim ſunt, & ſequuntur agnum, quocunque ierit. Ex quo teſtimonio apparet, ſingulare præmium habere virgines, quandoquidem canunt canticum, quòd nulli alij Beatorum canere poſſunt.

RESPONDENT Magdeburg. Cent. 1. lib. 2. cap. 4. col. 454. hunc locum debere intelligi myſticè de iis, qui non ſunt maculati idololatria, quæ vocatur fornicatio Babylonis, meretricis magnæ.

AT CONTRA; nam inprimis Ioannes indicat paucos quoſdam fuiſſe iſtos virgines, qui ſoli canticum illud dicere poterunt; pauci enim ſunt centum quadraginta quatuor millia, ſi cum illa turba magna Sanctorum comparentur, quæ præ multitudine numerari non poterat, quam idem Ioannes vidit Apoc. cap. 7. At maior pars Sanctorum immunis fuit ab idololatria, vt notum eſt. Præterea Ioannes non diceret, cum mulieribus nō ſunt coinquinati, ſed cum muliere, ſi intelligeret de fornicatione Babylonis.

Denique Patres de veris virginibus exponunt, Primaſius, Beda, Oecumenius, & Anſelmus in hunc locum; Hier. lib. contra Heluidium in fine; Greg. 3. parte paſtoralis, cap. 29. & AVGVSTINVS de S. virginitate, cap. 27. & ſequentibus, qui inter cetera ſic ait, cap. 29. *Videbit vos cetera multitudo fidelium, quæ Agnum ad hoc ſequi non valet: videbit nec inuidebit, & collætando vobis, quod in ſe non habet, habebit in vobis; nam & illud canticum nouū, proprium veſtrum, dicere nō poterit, audire autem poterit, & delectari veſtro tam excellenti bono, ſed vos qui & dicetis, & audietis, quia & hoc quod dicetis, à vobis audietis, felicius exultabitis, iucundiusque regnabitis.* Hæc de Scripturis.

CAPVT X.

Idem aſſeritur exemplis.

SECVNDO probatur exemplis primitiuæ Eccleſię; Nam conſtat mox initio naſcentis Eccleſiæ plurimos cœpiſſe colere continentiam, & vitā communem, rebus omnibus diuenditis, quod in Teſtamento veteri rariſſimum fuerat. Nec potuit eius nouitatis alia eſſe cauſſa, niſi prædicatio Chriſti, & Apoſtolorum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Actor. 4. legimus, quotquot erant poſſeſſores agrorũ & domorum, iis venditis, pretia attuliſſe ad pedes Apoſtolorum: vnde hoc? niſi quia audierant Dominum id conſuluiſſe.

Porrò continentiam tam multi certatim arripiebant, vt Act. 21. legamus, vnum Philippum quatuor filias habuiſſe, & omnes virgines, quas certè non ad tempus aliquod virgines fuiſſe credere debemus, ſed perpetuò, & ex electione: refert enim id Lucas tanquam aliquid magnum, quòd scilicet vni homini eſſent quatuor filiæ virgines. At quid magni eſt habere quatuor filias virgines, quæ vbi maturæ fuerint, nupturæ ſint? Adde, quod Euſebius lib. 3. hiſt. cap. 30. ex Policrate docet, filias Philippi in virginitate conſenuiſſe.

Præterea PHILO Iudæus in libro de vita contemplatiua teſtatur, plurimos ſuo tempore, id eſt, initio Eccleſiæ, vitam communem & cœlibem duxiſſe; ait enim, talia hominum collegia fuiſſe in multis orbis terræ partibus, tam apud Græcos, quàm apud barbaros, ſed præcipuè in Ægypto. IVSTINVS ex Græcis fermè antiquiſſimus in Apologia 2. ad Antonium ait, apud nullam Gentem ita coli cœlibatum, vt apud Chriſtianos, vbi ſunt plurimi vtriuſq; ſexus vſq; ad ſenectutem in virginitate permanentes; quod idem ſcribit Tertullianus antiquiſſimus Latinorum in Apologetico, cap. 9.

CAPVT XI.

Idem aſſeritur teſtimoniis Patrum.

TERTIO probatur ex clariſſimis Patrum teſtimoniis, tum Græcorum, tum Latinorum; & quia teſtibus abundamus, omittam eos, quorum teſtimonia hæretici non recipiunt, vt Dionyſium, Ignatium, & ſimiles.

ORIGENES in ca. 15. ad Rom. *Ea*, inquit, *quæ ſupra debitum facimus, non facimus ex præceptis. Verbi cauſſa; Virginitas nõ ex debito ſoluitur; neq; enim per præceptum expetitur, ſed ſupra debitum offertur.*

EVSEBIVS lib. 1. demon. Euang. ca. 8 *Quocirca*, inquit, *in Eccleſia Dei duo modi viuendi inſtituti ſunt. Alter quidẽ naturam noſtram, & communem hominum vitæ rationem excedens, non nuptias, non ſobolem, non ſubſtantiam, non opum facultatem*